



Rerum a Martino Schenckio apud Neomagenses undecima Augusti gestarum brevis historia


<https://hdl.handle.net/1874/8958>

21 B 148

8

RERVM A MARTINO SCHENCKIO
 APVD NEOMAGENSES
 VNDECIMA AVGVSTI GESTA-
 RVM BREVIS HISTORIA,

DESCRIPTA A QVODAM
 teste oculato.



ANTVERPIAE,
 Ex officina Ioachimi Trogneseij.
 ANNO 1589.

lit. y. 4°. 54 4/5

HISTORIA BRE- VIS RERVM A SCHEN- CKIO APVD NOVIOMAGENSES

II. AVGVSTI GESTARVM, EX

DESCRIPTIONE TESTIS CV-

IVSDAM OCVLATI.



MARTINVS Schenckius iuratus Neomagen-
sium hostis, qui non semel dixit; se illorum
hostem in vtero matris creatum; post mul-
tas prodiciones urbem tandem aperto mar-
te (si modò aperto) aggredi, & pro sua inex-
plebili libidine in ciues defœuire statuit.

*Schenckius
natus hostis
Noviomagē
sium.*

Redierat victor ex ericeto Lippiensi, & propugnaculū
suum Brillam ingressus, nono die Augusti sub noctem,
congregatis omnibus myoparonibus, explosisq̄e cun-
ctis maioribus tormētis, magna lætitiā signa dedit. haud
aliter, quàm si post comœatum Berckam illatum, &
trecentos circiter pedites equitesq̄e (vt reuera postea
compertum est) in ericeto cæsos, iam debellatum fuisset.
Auxit hæc victoria illius spiritum, & labefactatis (vt arbi-
trabatur) Reginum animis, maiora, ac magis ardua me-
ditabatur: iamq̄e & tempus & oportunitatem adesse ex-
istimabat, nauali simul & terrestri prælio Neomagenses
vel tandem expugnandi.

*Victoria
Schenckij.*

Aduenit dies Augusti decimus D. Laurentio sacer:
habebat Schœckius in procinctu myoparones quinque,
maiora, minoraq̄e nauigia circiter viginti quinque:
habebat & copiosum equitem & peditem. Sub vespere
rem igitur collectis omnibus copijs, sumptaq̄e cœna,
in hæc verba prorumpit: Si crastino die post Solis occa-
sum ex incolis Neomagensium, aut vir, aut mulier,

*Apparatus
Schœckij ad
expugnandū
Noviomaga-
gum.*

*Barbarum
propositum.*

Verba erat aut puer, aut senex viuat, mille dæmonibus animã meam
in forma: deuoueo: & hoc dicto iussit omnes copias naues descen-
So vare mij dere: additoque apparatu necessario, & equitibus terra
duſent duj vt fequantur iussis, soluit, atq; Neomagum versus secun-
uel int do flumine nauigat. Dimidio circiter ab vrbe miliari in
hart, ist dat Oijensi pago aliquot militaria sunt sepimenta: exigua
morgē om quidem, & ad boum ibidem custodiam erecta. Præsidia-
deſe tijt ij- rij dum circa duodecimam horam nocturnam eminus
man bin- tot malos conspiciunt, tormentis aliquot displosis aduē-
nen Nim- tum hostis oppidanis significare voluerunt: sed nihil ef-
meghen fecerunt; quia vasa picea ipsis hunc in vsum à magistra-
leene. tu tradita, non incenderunt: tantum bubulci (quorum
 illud signum erat) armenta collecta urbem versus abege-
 runt: de hostis machinationibus nihil suspicati.

*classis Schē-
 kiana in con-
 spectum No-
 niomagen-
 sum venit.*

Ventus erat admodum lenis, fluuius altior quàm vt
 naues contis, & naues ipsæ minus idoneæ, quàm vt remis
 possent impelli. Tardius igitur quàm Schenckius vole-
 bat classis prouehabatur, & iam diei crepusculum erat in
 proximo. Tandem, ciuibus nihil horum præscijs, circa me-
 dium tertię nocturnæ, ponto, formam habens liburnicæ,
 militibus ita in vnum constipatis, vt quid veheretur par-
 tim iniuria nebulæ, partim noctis caligine videri com-
 modè non possèt, ad orientale vrbis propugnaculum ap-
 pellitur, taciteque ripam sub ipsam urbem legit. Vigiles
 strepitum remorū audientes, & vos, inquit, vnde veni-
 stis, & qui estis? Acclamant illi; Amici sumus: & hoc di-
 cto summis viribus remis incubant. Nostri vicissim, vt in
 terram descendant, vltèrius ne progrediantur. Illi nihili
 nostrorum mandatum faciunt, & tanto alacrius remos
 impellunt. Vigiles contra, eos, qui in vicinis stationibus
 erant, admonēt, ad labentem nauim obseruent; simul &
 arma expediant. Dum tam celeri cursu pergīt hęc libur-
 nica, ecce rareſcentibus tenebris apparuerunt vela maio-
 rum nauium; sed ob venti lenitatē tardius descendētia.
 Hic statim in vrbe tumultuatur: emittuntur in meditulliu
 ciuita-

ciuitatis, qui hostem adesse vociferentur: stationarij ma-
 iori tormento signum dant: excubitor in turri S. Ste-
 phani tuba canit; trepidi ciues è lectis desiliunt: seminudi
 arma cõrripiunt, & Vvahalam versus eunt. Hæc dum
 fiunt, qui in liburnica erant, non procul à porta, cui à Ma-
 iõ nomen est, in terram exponuntur: illos cum actuariã
 nauì subsequitur Schenckius: qui iuncti vltèrius procur-
 rentes, pars duobus arietibus portam quãdam exiguam
 S. Antonij, quæ Mulencomia vulgo dicitur, eratq; oppo-
 sito pariete obstructa, concutere: pars cancellos ferreos,
 è quibus ex ædibus ciuium (nullus enim hic inter VVa-
 halam & ciuium aedès murus est) in ipsum præterlaben-
 tem fluuium patet respectus, euellere, immanibusq; tu-
 dibus comminuere ceperunt. Vtrisque res initio succes-
 sit. euulsis aliquot clatris, & disturbatis fenestris, aditum
 in vrbem sibi patefecerunt: vnãque domum occupa-
 runt. Interea maiores naues appelluntur. In scaphas ho-
 stes desiliunt. Schenckius sanguinem nostrum sitiens, spe-
 que totam vrbem deuorans, in perforatam domum suos
 ducit: exhortatur timidos, orat detrectantes, castigat ig-
 nauos, laudat strenuos: nulli aut sexui aut ætati parcant
 iterum iubet, & amplissimorum spoliõrum præmiõ om-
 nes ad fortissimè pugnandum inuitat. Nõdum ciues co-
 ierant, nondum in ordinem erant redacti: nondum man-
 data Consulũ, qui omnibus locis aderant, suorum ani-
 mos erigentes, & vires armaque subministrantes, accepe-
 rant. Classicum in nauibus canitur: balistarij vtrinq; sum-
 ma contentione rem agunt. pilæ prægrandes ex vrbe in
 naues, & ex nauibus in vrbem iaciuntur. celũ boatu rum-
 pitur, terra tremit, & fumus conspectum vrbis & classis
 dirimit: lacerantur naues hostiles, conuelluntur & perfo-
 rantur multorum ciuium aedès: sed ob interpositum val-
 lum, oppidani minus commodè in hostes, qui in terram
 descenderant, maiora tormenta intorquere potuerunt.
 iniquissimo namq; ciuibus loco, sibi verò cõmodissimo

*Schenckia-
 ni vrbem
 oppugnant.*

Ciues conueniunt, & urbem grauiter defendunt

hostis pugnabat. Conueniunt tandem ciues vnà cum præfidiarijs Belgis, & Gallis, qui tunc in vrbe numero paucierant. exhortantesque sese mutuo ad occupatam domum accurrunt: quò cùm venissent, reppererunt hostes iam in vicinum forum eruptionem parare, & duos ex illis in plateis deprehendunt: quorum vnum vulneratum capiunt, alterum occidunt; sed in ipsam domum irruere tergiuersabantur, ignorantes quid hostis intus machinaretur. Tandem centurionum exhortationibus, exemplisque moti ciues & præfidiarij in domum irrumpunt: dant, accipiuntque vicissim vulnera, atque eminus diu, dubioque euentu pugnatur. Erat enim domus valde angusta, & multa habebat receptacula: ita vt oppidanis consultum non esset, denso agmine irruere. Tandem duæ machinæ bellicæ, qualium in pugnis campestribus ferè vsus est, attrahuntur; vnæque domui opposita disploditur; globusque per obuia quæque penetrans, magnum hostibus terrorem incussit. instant oppidani, cedunt hostes: atrox fit pugna: sed ciuium res meliori loco cœperunt esse. Nec minus pugnatur ex vicinis fenestris: lapides certatim in confertissimos hostium cuneos effunduntur, contis & sudibus Schenckiani muris depelluntur. Horribilis initio vtrinque clamor, ouantium similis: sed mox apud hostes lamentabilior. Cæsim punctimque feritur, & de summa rerum prælio decertatur: nec segnius inter classarios & nostros balistarios maioribus tormentis res agitur.

Dum hæc à Schenkio ad VVahalam geruntur, pedites paulo infra urbem è nauibus expositi, equitibus mixti, portam Hessiam adoriuntur. Sed & stupendæ longitudinis pōto, peditibus refertus, impetu fluminis vltèrius præuectus, sub turrim S. Huberti, frustra qui vehabantur laborantibus, fertur. Oppidani, qui in turri & adiecto propugnaculo erant, tantum lapidum imbrè mœnibus deuoluunt, vt iã remorū nullus amplius esset vsus, pōdere

lapi.

Portam Hessiam equites & pedites Schenckiani adoriuntur.

lapidū nauis penè deprimeretur; & qui in ea erāt, omnes, paucis elapsis, aut saxis obruti sunt, aut aquis absorpti.

Adhuc ad portam Hessianam fulminabant hostes; auctē enim erant eorum vires quorundā accessione, qui paulo infra urbem, in Iudæorum, seu vsurariorum (vt fama est) quondam habitationem erant expositi. Hi iam cataracta portæ superauerant, & iā portarum feras conuellebant; ciues desuper lapidibus atque omni genere telorum portam fortiter defendebant: donec hostes vno semianimi relicto, tandem pedem retraherent, & portam desererent. Obequitabant interim equites instar luporum circumeuntium ouile, & lustrantium, si qua irrumpendi patefiat rimula.

Portam Hessianam deserunt hostes.

Non reticenda est hic mulierum fortitudo, quæ viris haud ignauiores & tympana pulsabant, & lapides, telaque viris administrabant: necnon & machinas bellicas attrahebant, omniq̄e deposito muliebri timore, & ipse in presentissima pericula ruebant, & maritorum animos ad sui, suorumq̄e defensionem exhortabantur.

Mulierū Nouiomagensium in vrbe defendēda fortitudo.

Nullus erat in vrbe hominum sexus, nulla ætas, nullus ordo aut hominum conditio, qui non proposita sibi aut morte, aut læta pro patria victoria, extremo animi feruore ac diligētia & murostuebatur, & hostes propulsabat.

Iamq̄e lux clara aderat, crescebant animi nostrorum, hostium decrescebant; adibus enim antea occupatis erant eiectiones, & nudi in ripa stantes vndequaque oppidanorum telis erant expositi: frendebat Schenckius, urgebat suos, & certam illis victoriam promittebat: illi instar desperantium cedere, Imperatoris sui temeritatem accusare, dicere, se iam quartō ad Nouiomagensium laniam adductos. Nostri hostē cedere conspicati, multō fortius ac vehementius instant; donec effusa tandem fuga in cymbastanto & tam incondito impetu vnā cū Schenckio ruunt, vt oneris impares quatuor aut quinque cymbæ depresso sint: cætera multis desideratis euaserūt.

Schenckiani vrbe iterum eiciuntur.

Schenckius cū suis aquis absorbetur.

Mox

Mox receptui canitur, leguntur anchoræ: & quartam post horam naues omnes lacera secundo amni defluūt, dimidioque ab vrbe miliari, non procul ab Oosterholt in anchoris iterum constiterunt. Ciues pugnando defessi, sed victoria lati, sibi mutuò gratulantur, & vulnera-
 tos, cæsosque suos inquirunt. Inuentus est vnus V Vilhel-
 mus Loënius, vir plebeius, grandæuus, & integer; alius
 item non ciuis, sed ex vicino pago inquilinus; vnus itidē
 miles præfidiarius: duo vel tres (sed non letaliter) fau-
 ciati. hostes extra teli iactum suos quoque recensentes,
 initio antesignanum suum Schenckium desiderarūt; ex
 ducibus qui plures desiderati sint, liquidò nobis nondū
 cōstat: ex gregarijs militibus 300. aut 600. aiunt interijisse.
 & sanè plures trucidati fuissent, si apertis portis oppi-
 dani eos insequi potuissent. vnus etiam ex aquis à nostris
 extractus, captus est.

*Ex ciuibus
 qui desidera-
 ti.*

*Hostium cla-
 des quanta.*

*Spolia hosti-
 bus detracta.*

Portis deinde apertis, ciues collectis omnibus scaphis
 pars harpagonibus, quibus situla ex puteis extrahuntur,
 pars retibus, quo loco pugnatum erat, non pisces, sed ho-
 mines piscatum eunt: extracta est exiguo tempore max-
 ima cadauerum multitudo, quæ detractis exuuijs iterū
 in profluentem proiecta sunt: tympana quoque, galeæ,
 enses, thoraces ferrei, sclopi, similiaque arma quàm plu-
 rima. Confluebat huc magna hominum multitudo. E-
 rat adhuc myoparo vnus, & aliæ naues oblongæ tres,
 magnæ & capaces, quæ eminus pugnam spectârant, nec
 ventorum iniuria se socijs iungere poterant. Frustra-
 tis spe Schenckianis, naues istæ periclitabantur, quia
 disiunctæ ab alijs, facile in manus nostras incidissent: sed
 tanta descendit subitò de cælis nebula, vt conspectum
 omnem tolleret, cuius nebula beneficio myoparo, cum
 vna oblonga urbem præteruectæ sunt; duæ verò aliæ,
 spolijs ex ericeto Lippiensi reportatis onustæ, postea in
 nostrorum manus inciderunt.

Nondum de morte Schenckij nobis aliquid consta-
 bat:

9.
bat: tandem circa sextam matutinam quinque nauæ exi- Schenckius in
aquis inueni-
tur.
gua scapha vecti, harpagonem eijciunt: dumque attra-
hunt, sentiunt pondus; attollentesque splendidam con-
spiciunt armaturam, & vestes pretiosas: prædam opimã
clamant. Accedunt propius alij, qui faciem eius inspiciẽ-
tes, Schenckium esse vociferantur: manum in vestes eius
inserunt, literasque & pecuniam inueniunt. Oritur inges-
clamor. Quidam è Magistratu astantes, vt cadauer cum
literis ad ripam deportent, iubent. Nauæ verò metuebãt
sibi prædam ereptum iri. Confestim igitur eorum vnus
è scapha defiliens, Vahalam tranat, literasque viro cui
dam Senatorio porrigit. interim alij, qua celeritate pos-
sunt, cadauer spoliant, nudumque in ripam exponunt.
Spectatum admissi sunt omnes, maxime ij, qui aliquãdo
Schenckium cognouerant, & perlustrant cadauer: depre-
hensum est vulnus in capite, quod ante Steenvicam ac-
ceperat; secundo vulnus in latere, prope Arnhemium
acceptum: & cicatrix in fronte. Admittitur vnus ex cap-
tiuis, qui & archistrategum suum agnoscit. Toto hoc tẽ-
pore hostes militem ex classe in dexteram fluminis ri-
pam exponunt, qui amisso Antesignano suo, cum socijs
non paucis, singuli ad sua, magna cum ignominia, reuer-
si sunt: in quos nostri non tam vt sternerent, quàm vt læ-
titia signa ederent, multas pilas euouerunt, multis v-
trinque verbis (vt ferè fit) contumeliosè prolatis.

Paulo post captiui duo in publicum producti, suspen-
dio necati sunt; cadauer autem Schenckij, securi deiecto Schenckius
in 4. partes
secatur.
capite, in quatuor partes dissectum est; caput hastæ præpi-
latæ infixum, portæ S. Antonij, vbi ea nocte facinus per-
petrârat, impositum est: cætera membra per turres, alias-
que portas distributa sunt.

Hora quinta pomeridiana Senatus in aede D. Step-
hano sacra congregatur. Conueniunt eodem optimi qui-
que ciues, omnis sexus, ætatis & conditionis: vbi ageban-
tur Deo gratia, & tandem canticum Ambrosij & Augu-
stini

stini summo cum omnium iubilo decantabatur. Sub noctem campanæ pulsabantur, tormenta bellica exonerabantur, vasa picea varijs locis ardebant, nullum non lætitiæ signum edebatur.

Acta sunt hæc octaua die translationis B. Stephani, patroni & Diui tutelaris Neomagensium, non sine illius patrocinio & armis, quibus ille pro Christo occubuit: amplissimis viris, Cornelio Iegero, & Iacobo V Venio Coss. Anno 1589.

